Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36453
Copyright: Melk, Benediktinerstift

carinas remigantibus ad sanctum Bracanum peruenit. Et hic se-
nior multo feruore fidei et caritatis uisceribus in fletibus
et lacrimis iuuenes scotorum hybernie nutriuit spacio longi
temporis et edocuit. Inde etiam lingua scotica Bracanus dicitur
quoniam ipse merens et lugens consolacionem eterne uite ardenti
desiderio desiderabat. Qui etiam precibus sanctum Flannanum appo-
sito itinere prius pacem expostulacionibus retinere elaborabat.
et cum iocunde in uerba rediret. uir et sanctus et simplex Bra-
canus aiebat. Dum meis non uis acquiescere consiliis
dum patrinis precibus remanere nolis. unum penes memoriam tuam
obtinere cupio. quatinus dei sic uolente clemencia dum redux
fueris. dum littora hybernie reduca tetigeris carina ad me
tanquam ad senem decrepitum redire non dubites. Ad quem
sanctum senem tanquam ad patrem iocundo sermone dicebat. Et quid
erit pacis si diuina misericordia ad hec littora rediuiuus rediero.
Ad hec sanctus Bracanus senex senior respondebat. Hoc tibi fili
mi in spiritu dei permitto. quia quicunque ecclesie tue primatum post
te teneat. diues opum. speciosus forma. etate longeuus.
decorus eloquio. et quod preciosius est uitam eternam possidebit. Post
[insimul] uerba uiri dei et fida consilia. ~~inuicem~~ ad uicina littora
gradientes. deum sollicite precibus pro naui obnixe deprecantur.
Non dum enim maritimas ciuitates nec littora forensia
mercibus apta. non municipia nec transmarina littora
gentes hybernie utpote rudes ac simplices et idiote noue-
runt. Vterque ad inuicem magno fidei feruore oculos ac pal-
mas ad pium celi ac maris dominum extenderet. mira dictu
ecce ingens saxum superficietenus leuigatum ac planum littoribus
carinare conspiciunt. Hic senior sanctus prior in more alloquitur
Ecce magister pietas tua. ecce desiderium tuum. aures diuine
potencie ad te inclinauit. ecce nauis tibi de celo contra
solitum et contra nature debitum data. impone confidenter